



Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum
tractatione.

Jn Omnes Totivs Anni Dominicas Æstivas, à Festo Pentecostes vsque ad
Aduentum

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1620

Dominica Vndecima Post Pentec.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56306)

dentem viderent, & scelesti aliquot qui vna
vehabantur, manibus in cœlos sublatis, diis
supplices vota facerent, dicere cœpti. *Tacete
ne dii in se ipsos hinc abnavigare sentiant.* Si-
gnificare sc. volebat, preces impiorū, & ma-
xime superborū, qui inter peccatores reges
sunt ac principes Deum ad iracundiam pro-
uocare, & eius furorem exacuere, non vero
exaudiri, quod & Euangelium egregio cōfir-
mat Epiphonemate q̄a *omnis qui se exultat, hu-
milabitur, & omnis qui se humiliat exaltabitur.*

Eia igitur Christiani, cōsiderate hęc dili-
gentius, & cogitate, quemadmodum aurei
summi, qui in bilance descendunt, in the-
sauris reconduntur, quiq; vero eleuantur, ex-
truduntur & per vulgus sparguntur, ita quoq;
illos, qui vana sese gloria efferunt, & cœteros
præ fastu & arrogantia aspernantur, reiciā a
Deo ac reprobari, at qui descendunt, seseq;
humiliant in cœlum assumi, in quo thesauri
& reconditoria gloriæ sunt. Discite ab hac
parabola Christiani, superbiam & insolentiam
apud Deum & homines execrabilem esse,
Odibilis Deo & hominibus superbia, ait Sa-
piens: ac solas humilium preces promere-
ri vt exaudiantur: testatur hoc pulchra illa
Iudith dicens, *Manfuetorum & humilium sem-
per tibi placuit deprecatio* quod factō ipso Pu-
blicanus noster hodie declarauit.

Eccl. 10.

Luc. 9.

Tu autem summe Deus, qui humiles in-
primis diligis, & superbos detestaris, qui illos
amplecteris, hos vero persequeris, hanc ob-
secro virtutem pectoribus nostris insculpe,
illiusq; aduersariam procul ab animo elimi-
na. Tu scilicet es, qui superbum Luciferum
cœlo exegisti, insolentem Adamum Paradiso
pepulisti, arrogantem Nabuchodonosorem
regno & diademate priuasti, fastuosum Pha-
risæum non exaudisti, & omnes deniq; illos
dignis suppliciis castigasti, qui naturæ limi-
tes egressi, ad vanitatis desertum secesserunt.
Tu quoque, summe Deus humilem Abra-
ham exaltasti, simplicem iacob dilexisti: par-
uulum David ad regnum euexisti, & sese di-
mittentem Publicanū iustificasti, & semper
omnium preces & vota exaudisti, qui in cor-
de humiliato & animo submisso te inuoca-
runt. O virtutem votis omnibus expetendā,
& superbiam diris deuouendam, & velis re-

misque fugiendam. Illa sc. in posterum ani-
mo nostro dominetur, in actionibus nostris
verbis ac gestibus refulgeat, solam humilita-
tem spiremus, nihil omnes actiones nostras
præferant, nihil animo aliud gestemus in-
clusum Ipsa siquidem virtutum directrix est
ac caput, bonorum operū gubernatrix, ve-
ratorū custos, cœlorū clauigera, ipsa est, quæ
luculentum hodierna die Publicano offert
triumphum, & exteremam Pharisæo infamiā,
& eadem simul opera nos omnes edocet, i-
psa deniq; virtus, a qua omnis nostra depen-
det beatitudo, ad quam SS. nos deducat Tri-
nitas Pater & Filius & Spiritus sanctus.

DOMINICA VNDECIMA POST PENTEC.

Partitio.

- I. *De septem fidei fundamentis.*
- II. *De fide & charitate adducuntur surdum
& mutum.*
- III. *De manu Dei ipsum tangente.*
- IV. *De surdo ac muto ipso quosnam designanti.*
- V. *De sanandi à turba adulatione.*
- VI. *De nocumento turba.*
- VII. *Turba aliorum mysteria sunt celanda.*
- VIII. *De ingemiscente Iesu.*

*Adducunt ei surdum & mutum, & deprecaban-
tatur eum, vt imponat illi manum.*
Matth. 7.

FIGURA.

SUMMVS ille Dei amicus David cum quo-
dam die vicini sui vxorem è solario sese
lauantem conspexisset, in plurima dein de
peccata letifera incidendi hinc occasionem
hauit: indignatus itaque Deus surdum eura
& mutum in animo ad dies aliquot reddidit:
restatur ille siquidem de se, *Ego sicut surdus
non audiebam, & sicut mutus non aperiens os
suum.* In eandem omnino calamitatem plu-
rimi hodie delabuntur peccatores, qui ob
infinita, quibus Deum offendere peccata, au-
ditum & linguæ vsum Deus aufert. Ad vi-
uum hodierno hoc in Euangelio expressum
legimus, in quo surdus quidam qui simul &
mutus, Iesu Christo, ad sanitatem recupera-
ndam;

randam offertur. In quo magnum profecto ipse miraculum patrauit; quod ut pro dignitate exponamus, Spiritus sancti opem intercessionem Deiparæ, imploremus, atque idcirco salutationem illi Angelicam offeramus, dicentes:

AVE MARIA.

I. Præterquam, quod Christiana & Catholica fides, omnium recte sentientium iudicio, certa, infallibilis & indubitabilis sit septem quoque fundamentis, maioris certitudinis ergo innixa est, quorum vel minimum & maxime imbecillum fortius est ac validius, quam gemini orbis arces & poli. Adeo ut quicumq; magnam illam fidei maiestatem perspectam habere voluerit, egregiam illam Sapientia donum contempletur, quam septem Deus columnis innixam voluit, *Sapientia edificavit sibi domum, edificavit columnas septem, aut potius sibi proponat magnum illud Apocalypseos volumen, septem sigillis munitum atque intus ac foris conscriptum.*

Primum fidei nostræ fundamentum, prædictiones sunt, oracula, atque alia tum Prophetarum, tum aliorum Sæctorum vaticinia: nullus quidem fidei articulus est, quem Prophetæ non prædixerint, nihil autem ipsi hominibus annuntiarunt, quod non à Deo, qui prima veritas, prius acceperint, iuxta ea quæ in Actis scribuntur: *Hinc omnes Prophetæ testimonium perhibent. & multo etiam clarius in Epistola D. Petri: Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui beneficiis attendentes. Hoc ipsum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturarum propria interpretatione non sit. Nō enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed S. S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Cum igitur Deus solus futura norit contingentia, iuxta illud Isaia: Annuntiate, quæ ventura sunt, & sciemus, quia dixit. Sequitur, cuncta quæ fides nostra complectitur, esse verissima, cum voluntas illa diuina infallibilis ita Prophetis inspiravit, atq; hæc oracula, cum diuinitus inspirati essent, ita hominibus annuntians prædixerunt.*

Alterum fidei fundamentum, est ipse S. Scripturæ consensus, & apta inter se mutuo har-

monia. Omnes siquidem scriptores Catholici, & imprimis, qui utrumque testamentum concinnarunt, quavis diuersis vixerint temporibus & locis, cum tam apte & congruenter in multis propositionibus communem naturæ captum & ordinem excedentibus inter se consenserint, affirmari profecto potest, mentem eorum diuinitus fuisse illustratam, & voluntatem à prima illa causa, quæ Deus est permotam, ut huiusmodi in rebus euenirent, & illas præter communem hominum opinionem velut certissimas assererent, atq; ita demonstrari doctrinam illorum esse verissimam. Nam ut Albumasar ait quodam in loco: *Lex Christianorum veritates affirmat difficiles ad imaginandum, & humanam notitiam transgredientes.* Adhibet hoc argumentum August. 4. 1. 18. de ciuit. Dei, quo ceteras hæreses refellat ac configat, in quarum auctoribus propagatoribusq; mera discordia ac perpetua dissensio, quoad opiniones recenter inductas.

Tertia fidei basis, est ipsa scriptorum Catholicorum & auctorum sanctitas atque honesta vitæ ratio, ac matrum & diligens eorum quæ literis mandarunt, examen. Qualis enim, obsecro, fuit Moyses, Pentateuchi auctor? cuius elogium dum texit Ecclesiasticus, ait: *Dilectus Deo & hominibus Moyses?* quales fuere Samuel, Ieremias, viri ad miraculum visque sancti, ut qui in utero matris fuerint sanctificati? Quales deinde Isaïas, Zacharias, Ionas, Tobias, Iob, Daniel, Apostoli, hominum reges, & homines regum? quis dicere audeat vana illos inductos gloria & ambitione suâ conscripsisse, cum omnes ad vnum protestentur: *Ecce nos reliquimus omnia?* quis illos falsitatis aut mendacij arguat? cum & ipsi impostoribus ora obturent, eosque conuincant, & aperte dicant: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Ad hæc quam diligenter Scriptura sancta à Patribus excussa & examinata fuit, quam profecto, nisi à Spiritu S. dictatam fuisse cognouissent, nunquam admisissent aut recepissent.

Quartum propugnaculum est hoc: Quid fundamētum quæ credenda proponit, tum quoad ea mentum quæ fieri præcipit, rationi consentaneum, honestum & congruum est: qualia sunt, bonum

facere, & malum fugere, virtutem amplecti, vitium detestari, nihil in alium committere, quod nolumus in nos commissum, ex toto animo & mente Deum diligere, & proximū vt nos ipsos. Denique lex est, cui nihil obici queat, de qua hocce Psalmographi habemus testimonium: *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Nihil siquidem virtute honestius, nihil iustitia rationi & æquitati convenientius. Lex autem & fides, quam tenemus aliud non præcipiunt quam virtutem, vt nos iustos & sanctos efficiat, & iustitiam, vt beatitudinis nos capaces reddat.

Psalm. 18.

5. Fidei fundamentum.

Quintum fidei fulcrum est inuicta martyrum constantia & fortitudo insuperabilis. Non mediocriter quippe fides nostra stabilitur tot martyrum testimonio, qui eandem non verbis modo ac scriptis, sed proprii sanguinis effusione vitæque amissione, mirabili quadam tolerantia, & heroica & infracta constantia, confirmarunt. Cum vero iuxta Hieronymum, martyrium non hominem sapiat, sed quid homine maius sit; numquam profecto generosi illi pugiles & athletæ inuicti, tot tormenta perferre potuissent, nisi diuinitus illis auxilium datum esset, velut rei iustissimæ testibus, & fidei verissimæ propugnatoribus. Hoc etiam confirmare potest ingens martyrum vtriusque sexus multitudo, vt S. Hieronymus dicere non vereatur, nullum in totius anni decursu reperiri diem, exceptis Kalendis Ianuariis, quo non quinque enumerare Ecclesia martyrum possit millia. His adde mortem & passionem tot insignium & illustrium virorum, quales fuere Apostolus Paulus, Dionysius, Iustinus, Cyprianus, & Isidorus.

6. Fidei fundamentum.

Sexta fidei nostræ basis, & eiusdem robur est non ficta perseuerantia: multos illa quippe insultus & persecutiones varias perculit, tum ab infidelibus & ethnicis Imp. Nerone, Domitiano, Traiano, Antonino, Severo, Decio, Valeriano, Diocletiano, Maximino aliisque plurimis, tum vero vel maxime ab hæreticis, Arrio, Nestorio, Pelagio, Manete, Eutychete, Apollinare, Berengario, Ioanne Hus, Luthero, Melancthone, Zuinglio, Oecolampadio, Caluino & pluribus aliis: nihilominus infracta semper permanit, &

Victoria caput extulit, quod profecto euidens & apertum est argumentum, quo euinci queat, a Deo illam accepisse, ac solius Dei opus esse: quo argumento Gamaliel vsus est ad legem Christianam exequendam: *Si ex Adm. 5. h. minibus erit consilium hoc aut opus, dissoluetur, si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere illud.*

Septimum & vltimum fidei nostræ fundamentum est miraculorum virtus & efficacia. Miracula siquidem quæ Christus in Nouo Testamento in fidei nostræ confirmationem præstitit euidens & luculentum sunt integritatis ac sinceritatis symboli nostri argumentum. Hinc Iudæis Christus in Euangelio Ioannis dicebat: *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* & apud Mattheum discipulos Ioannis Baptistæ in fide confirmare volens ait: *Et istæ renuntiate Ioanni, quæ auistis & videris, rati vident, claudi ambulat.* Occasionem hinc accepit D. Thomas dicē: *3. p. 9. q. 4. di.* miracula Christi esse ad fidem nostram confirmandam quam maxime sufficientia: primo propter eorum speciem, quod omnē potestatem virtutis creatæ excederent, ac proinde non nisi à potentia quadam pure diuina fieri potuisse, quod etiam confirmauit cæcus ille in Euangelio, cui Dominus oculorum visum restituit dicens: *A saculo non est auditum, quod quis aperuerit oculos rati mali.* *N. si esset h. e. à Deo, non poterat facere quilibet.* Secundo propter modum quo facta sunt, nam propria eadem virtute præstabat, non vero superiorem aliquam potentiam in auxilium inuocando, vt fecerit olim Moses, Elias, Elias, & alij. Miracula igitur doctrinam illius satis adstruebant, quod admirantes Iudæi dicebant: *Quanam doctrina hæc noua? quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obedunt ei?* Et in hodierno Euangelio videntes surdum & mutum & aurium & linguæ vsu donari, præ stupore & admiratione clamant: *Bene omnia fecit, & surdos facit audire, & mutos loqui.* Historiam refert Marcus, quam vt vestro cum fructu exponam, primo loco de surdo & muto loquar, ac deinde quas in eius sanitate danda Saluator adhibuerit ceremonias recensere, ac præcipuas miraculi circumstantias aperiam.

Principio igitur, antequam in altum pronuchamur,

uehamur, obiter ac velut per transfennam dicam, Dominum, cum in mundum venisset, ut aliquod diuinitatis suae specimen ederet, ac verum se & perfectum omnis naturae reparatorem ostenderet, mirabilia interdum & inusitata sanitatum genera, ab humana potentia & communi operandi modo discrepantia, edidisse, ut ita ad oculum patefceret diuina potentia, quam in se ob unionem hypostaticam habebat. Quod igitur hodie opus Euangelista describit, inter cetera dignum est ut homines admirentur.

Christus igitur, cum in Decapoleos regionem (hoc nomine appellatam, quod decem, teste Hieronymo, completeretur vrbes) venisset, regionis incolae obtulerunt ei surdum simul & mutum, ut a duobus his eum liberaret morbis, hoc vero ut faceret vota precesque incolarum eum adurgebant, illius nempe condolebant miseriae, & ad summum illum & peritissimum accedentes medicum, caixissime deprecabantur, ut vel manu eum tangeret, sperantes certissime hoc illum tactu sanitati restitutum iri. *Adducunt ei surdum & mutum, & deprecantur eum, ut imponat illi manum.* Credit Theophylactus hunc non fuisse surdum & mutum a natiuitate & matris vtero, nec casu aliquo inusitato auditum & loquelam amisisse, sed diaboli nequitia in hocce morbos incidisse. Eiusdem opinionis quoque est Euthymius, & credit hunc daemonicum fuisse. Sed vtriusque opinio non vsque adeo placet, utpote tenui innixa fundamento. Si enim hoc verum esset, hoc Euangelista silentio non praeterisset, cum ad miraculi splendorem non parum conducatur.

Beda & Eusebius Emisenus eorundem proxime vestigia insistentes, & daemonicum hunc accuratius examinantes, ac videtes eum surdum simul & mutum esse, aiunt diabolum hos vltimum effectus in anima producere, aures namque inuadit, ne quis verbum Dei percipiat, quod concionatores proponunt: deinde & linguam, ne peccata confiteatur, aut diuinas laudes deprecetur. quidquid demum sit, ait non esse eandem historiam, quam Matthaei cap. 9. Lucae cap. 11. legere est: illis enim locis mutus, ut

daemonicus describitur, hic vero solummodo dicitur, mutum & surdum ad Christum adductum fuisse.

Adducunt ei surdum & mutum In quo insignem erga proximum charitatem & benignitatem noto, simul & dilectionis affectum, quo de alterius bono solliciti sumus ac salute, quod magis per vniuersam Scripturam encomiis celebratum video, cuiusque sanctos omnes ad stuporem vsque studiosos fuisse comperio: & imprimis Mosem, quem licet Basilius laudet, quod quadraginta annorum spatium foceri sui Iethro gregem pauerit, priusquam in Aegyptum populi regimen suscepturus descenderet; maiori tamen dignus est praconio, quod Hebraeorum conseruationis fuerit studiosissimus, quod studium re ipsa ostendit, cum populo Deus ob admittam idololatriam exterminium comminaretur, dicens: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* quasi diceret: Malim ipse perdi, quam ut populus hic perdat. Ecce zelum salutis proximi.

Non minorem profecto laudem meretur Patriarcha Abraham, ob egregium in Pentapolin affectum: audito namque Deum eandem statuisse euertere, commiseratione ac pietate motus Deo supplex factus ait: *Nunquid perdes iustum cum impiis: absit a te ut facias hanc rem: non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc.* Sciebat quidem iustos immunes fore & impune habituros, sed hoc locutionis genere vltus est, ut & impij iustorum respectu sententiae condemnatoriae fulmini eripiantur. Est mirum proximi amor eiusque salutis desiderium, quo commotus eos conseruari cupit.

Quam regia Regis Dauidis oratio est, qui Zelus Daemonicum se criminum a subditis admissorum vidis erga sponsorem & vadem praestat, & ad diuisubditos. nae iustitiae ad vindictam in subditos exercere parata ictus, sanguineos licet ac praeduros, excipiendos, humeros praebet; dicit igitur, Deum suum delictum exaggerans: *Ego sum qui peccaui, ego qui inique egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me.* Sciebat pius rex, peccatoribus & peccatis regnum scaterere, sed, quo impij conseruentur, & impune habeant, in se Dei

iram ciet, & populi delicta in caput suum detorquet.

Item Pauli Apostoli. An non obseruastis vnquam genuinum illum & Christianum Pauli Apostoli in Iudæos affectum, affectum, inquam, æstuantem, incensum ac vere immensum, quo inflammatus anathema esse coram Deo malebat, quam vt diuinæ iustitiæ flagellum in fratres descenderet? vix crederem, Auditores, nisi eiusdem è verbis aperte id colligere liceret: *Optabam, inquit, anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Priuari ecce mauult gaudiis, ac deliciis quas è dulci Christi conuersatione percipiebat, quam vt inimici, qui in illius necem conspirauerant, à Deo reicerentur, & pro meritis punirentur.

Christus postquam paralytico membrorum vsum concessisset & Iudæi illum vt sabbathi violatorem ac festorum profanatorem traducerent, quo hanc à se calumniam depelleret, suamque innocentiam testatam faceret, ait: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor:* Id est, eadem in sabbatho in terris ago, quæ pater in cælo, qui nimirum hominibus auxiliatur, quotidie eorum saluti incumbit, necessitates in humeros sumit, iis in periculis & grauibus casibus succurrit. Dicta sunt hæc hæctenus illorum occasione, quos Euangelista ait, surdum & mutum ad Christum adduxisse, eumque orasse, vt eum vel manu tangeret. E quo eorum benignitatem & fidem colligere est.

Vitæ fidei & ardentis exemplum. *Adducunt ei surdum & mutum.* Egregium fidei vitæ, & per charitatem operantis exemplum, qua credunt firmiter, Christum misello huic posse succurrere: fidei, inquam, Christi potentiam adeo efficacem esse docentis, vt vel solo contractu ægros sanare queat. Insignis namque fidei actus fuit, credere, Dominum, manum tantum admouendo ægris opitulari posse: fuit simul & charitatis ac misericordiæ argumentum, ægri curam suscipere, eumque ad cælestem medicum sanitatis recuperandæ ergo, adducere. Caterum horum fides & charitas duomenta fidei & charitatis dignis: primo, magnæ existimationi quam

de Christo & ipsi conceperant, & per omnia celebratam loca inaudierant, qua illius bonitas, clementia, & in miseros propensio dilaudabatur, vt qui eorum ad se confugiens neminem in donatum remitteret, neminem voto frustraret, nemo de illius conueniri possit inhumanitate aut ingratitude; deinde, euidetibus miraculis, quæ illum mirabili quadam ratione patrassentauerant, quæque vniuersa Iudæa extolleret ac decantaret; Duabus hisce basibus tam solide & infracte fides eorum innititur, nihil vt esse credant, quod non impetrent, si bique persuadent, si tanta vbique locorum medicus hic miracula ediderit, & alia posse facere.

Notandum hic est, fidem donum Dei esse & gratiam datam cœlitus: ita quippe dicit Apostolus: *Gratia saluati estis per fidem, hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et alio loco: *Vnicuique diuisit Deus mensuram fidei, & Ioannes in Euangelio: Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum, quem loquor.* Patres, Augustinus, Chrysostomus, aliiq; de fide exponunt, & hoc modo: *Nemo in Christum credere potest, nisi cui Deus fidem dederit, hinc in Actis legimus, Paulo & Barnaba Antiochiæ concionantibus: Credi- disse quotquot erant præordinati à Deo.* cui fundamento Scholastici innitentes Theologi dixerunt fidem esse virtutem quandam infusam; & est reuera infusa, non vero merito aliquo impetrata, quod allegoriis biblicis iam confirmabo.

Stella quæ in Oriente nato Messia apprens, Magos è lōginquis regionibus in Bethleem adoraturus, & munera oblaturos deduxit, non fuit aliqua de numero earum, quæ in firmamento fixæ sunt, aut errantium quas planetas dicimus, sed nouum quoddam astrum ab omnipotente extra creationis communis ordinem in aërea regione efformatum, quod Magos in itinere conduceret. Allegorice hoc vt exponam, dico, fidem quæ stella est in vitæ nostræ Oriente apprens, & eodem quo Christus in animo nascitur tempore, exoriens, & quæ generosos & regios illos animos ad Christum in Ecclesia adorandum muneribusque honorandum

ritatis eorum qui agrum hunc adducunt. Ephes. 2. Rem. 11. Ioan. 6. Fides Dei donum. Act. 13. Insignis allegoria.

dum adducit, non esse virtutem quandam communem, nec de earum numero quas dicimus morales aut humanas, sed faculam quandam nouam gratiam cœlitus datam, virtutem penitus diuinam, & Donum præter merita nobis à Patre misericordiarum concessum, quod in caligine & tenebris vitæ huius deducat & conducat Huius fortasse figura fuit nubes illa ignea, quæ Hebræis Ægypto egressis per desertum itineris se duccem præbebat.

Leod. 13

Gen. 24.

Isaac Patriarcha Rebeccam in vxorem ducturus in aures & armillas, velut sponsalitiâ largitatem & conceptâ fidei arras, ei dedit, *Postquam autem biberunt camelis, protulit vir in aures aureas appendentes siclos duos & armillas totidem pondo siclorum decem.* Qui mysteriū hoc accuratius excutere voluerit, inueniet hic designatum, Deum cuius vera Isaac imago erat, magno erga animas nostras, quas Rebecca denotat, amore incensum, cum per baptismum eandem sibi desponderet, & in coniuges adoptat, armillas & in aures aureas, id est, fidem per bona opera operantem, aliasq; virtutes plurimas, in spiritualis matrimonii arrhas illis tradere. Testis huiusce coniugii adest Oseas & ait, *sponsabor te mihi in fide,* & Apostolus, *Fides ex auditu.* Ecce matrimonium in aurem.

Ose. 2.

Rom. 10.

1 Reg. 5.

Columnæ marmoreæ & lignæ trabes & tigna, quæ Salomon templo suo inferuit, in regno Israel non excreuerant, sed aliunde eadem aduehebantur, Libanus quippe mons arbores subministravit, & lapidiciæ Hiram regis marmora & lapides. *Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegnâ iuxta omnem voluntatem eius.* Templum porro extruit anima nostra, cuius altare, cor est, laudum diuinarum præconia, sacrificia, columnæ & bases, quibus innititur, fides, spes, charitas, quibus tota ædificii moles innititur, quamuis in naturæ agro & humanorum meritum territorio eadem non excreuant, sed cœlitus dantur. Dei donum sunt & gratia extrinsecus aduectæ: ac præsertim fides quæ ideo virtus infusa dicitur, & qualitas quædam supernaturalis.

Insigne docum.

Notate hic Zelum animorum, ac sedulam in proximi rebus administrandis & procu-

randis sollicitudinem, ac præsertim cum in tum quod necessitate est, eiusq; res in exitum vergunt. ab hoc E-Insignis profecto schola in qua docemur, uangelio bene consulendo, & sapienter admonendo, colligitur. omnes qui à vero vitæ tramite deuiant, & à via iustitiæ deflectunt ad Christum adducere, aut saltem diligentissime precibus & orationibus eidem cōmendare Offerendi Christo sunt surdi, id est, peccatores qui auribus carent, quo de rebus ad salutem pertinentibus admonentes audiant nec diuinæ iustitiæ fulmina in aures admittant. Offerendi quoque sunt muti, qui ore carent ad diuinas laudes decantandas, & lingua, ad Deum inuocandum, loquela, ad delicta confitenda, & orandum vt eadem diuinæ clementiæ suæ manu tangat: ipsa caritas & exemplum horum eodem nos inuitat, quibus satis non est surdum & mutum ad Christum adducere, sed eum etiam precantur, vt manu tangere dignetur. *Et deprecabantur eum, vt imponat illis manum.*

Proponite vobis hic, obsecro, duas summo illi Deo manus esse, quib. homines tangere consuevit, eas inquam manus, de quib. Psalmista, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Prima igitur ipsa iustitia est, quæ manus adeo grauis & rigida est, vt patientiæ speculum Iob eandem in tergo suo expertus exclamet & opem inclamet, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* alio item loco ardentè supplicat, ne manus hæc ipsum feriat, imo ne accedat quidem, *Manum tuam, inquit, Iob. 13. ne fac à me, & formido tua non me terreat.* de hac ipsa locutus quoque videtur Psaltes dum ait, *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis.* Id est, Vindicem iustitiæ tuæ manus Domine sentiant inimici, Turcæ, ethnici, hæretici, non vero nos, qui fidi tibi sumus & charissimi. Alia vero manus, est misericordiæ, de qua mystice locutum credo Psalmographū dicentem, *Emitte manum tuam de alto, & eripe me de aquis multis* Hanc porro manum rogemus Deum vt imponat tot peccatoribus quibus lingua nec aures sunt.

III.

Deus duas ingentes habet manus.

Psal. 100.

Iob 19.

Iob. 13.

Psal. 20.

Psal. 143.

Vt imponat illis manum. Deprecabantur huiusmodi, vt surdum hunc tangeret, tum quod scirent illum manuum impositione pluri-

plurimos aegros sanasse, de quibus Mar. 1. 5. 8. Matth. 8. 9. 19. & Luc 13. tum vero quod Prophetae ac ceteri Sancti veteris Testamenti manus aegris imponerent, atque ita persanarent quod nec ethnici & gentiles ignorauerent. Video enim in regum libris Naamanum irasci, aut quasi de recuperanda sanitate dubitare, quod Propheta manus illi non imposuisset. *Iratus Naaman recedebat dicens, & utabam quod egredereetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manus sua locum lepra & curaret.* Adeo ut tunc se sanitati restitutum iri crederet, cum manum sibi videret imponi, ut & hi Euangelici deprecabantur eum ut imponat illi manum.

O mysteria, & res admirabiles! resne adeo grauis & tanti ponderis, ut tota Dei requiratur manus? ut mundum conderet, digitis tantum opus fuit, *Quoniam video calos tuos, opera digitorum tuorum.* Tres quoque potentiae illius digiti tota terrae machinam sustentant & librant. *Quis ascendit tribus digitis molem terra? quin & ipsa digitorum visio regibus potentissimis pallorem & metum incurrit, in eadem hora apparuerunt digiti, & tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum.* Denique in digitorum illius potentia daemona fugantur, *Porro si in digito Dei eicio daemona & ut surdum & mutum sanet, rota deposcitur manus.* Credebat centurio vocem & verbum vnicum ad paralytico seruo salutem reddendam sufficere, *Dic tantum verbo & sanabitur puer meus:* & hi ut surdo auditus restitueretur, integram manum deposcunt; ostendere scilicet conantur, animae surditatem perdifficilem esse, eiusque salutem aegre admodum recuperari.

• IV. Et reuera non mediocre afferre animae periculum solet auribus & lingua destitutum esse, tum ad vocem Dei exaudiendam, tum vero ad mirabilia illius depraedicanda. Vnde euidentis reprobationis argumentum colligi potest. In huius rei confirmationem olim cautum fuit, ut quicumque victimam Deo vouisset, ea aurita esset & caudata, *Bouem & ouem, aure & cauda amputatis voluntaris offerre potes, votum autem ex his solui non potest.* Hoc autem mysterio denotatur, vota, orationes, laudes & sacrificia illorum Deo dis-

plicere, qui ad bonum surdi sunt, & auribus ad diuinam vocem & voluntatem percipiendam, carent.

Quantum Deus bone malum, nec audire nec loqui posse! o tristis & funesta captiuitas, qua auditus & lingua compedita sunt! ceterum diaboli hoc feritati ac tyrannidi ascribendum est, qui animas ijs priuat sensibus & medijs, per quae in afflictionibus & morbis iuari & curari possint, qualia sunt vocem Dei audire, ac preces ad eum fundere. Inter ceteras clades Iob, quibus eum Saran ad desperationem cogere volebat, illa imprimis eminebat, quod Deo offerro victimas, eumque sacrificio placabile sibi reddere non posset fulmine omnes illius oues extinguendo, non vero camelos, boues, & asinas, credebat siquidem hac sese ratione ingentem illi cladem afferre & nocere quam maxime, quod viam omnem quantum votis, tunc sacrificijs Deum sibi redderet propitium, interclusisset.

Huc spectat, quod Iudae proditori olim imprecatus est Dauid, cum orationem quae solitum afflictorum & miserorum in aduersis refugium & asylum est, in peccatum & condemnationem cedere postulat, *Cratio eius fiat in peccatum.* Id est, non modo scelestus hic & perfidus sicarius nihil petitorum obtineat, sed oratio occasio sit, quo plura in caput illius redundant mala. Idem quoque habet in Prouerbijs Salomon, & aperte profiteretur, victimas & preces scelestorum Deo displicere quam maxime, *Victima impiorum abominabilis.* Plura in hanc rem habet Psalmista, credit enim animam a Deo derelictam, nullum ab eodem sperare auxilium, nec ad illum, nec ad quemquam mortalium confugere opis impetrandae gratia posse, & qui prius amici eius erat, iuratissimos fieri inimicos, & apertum inter vtrumque bellum consurgere: *Non est salus in se in Deo eius.* Id est, Derelictatur & reuicit a se illos Deus, quorum esse solebat spes & refugium, ut ne vocem quidem illis concedat ad orandum, nec victimas, ad nomen placandum, nec aures ad audiendum. Quam ergo eheu! est miserum, hisce medijs destitutum esse! at potius quam deplorandam nec audire nec loqui posse!

Levit. 22. Hebraei Aarone cum dicerent, *Surge, fac nobis Deos, qui nos precedant*: hac illis ratione respondit, *Tolle in aures aureas de uxorum sibilis horumque & siliarum vestrarum auribus, & adferte ad me*, res profecto quam satis admirari nequeo: non enim postulat torques, monilia, brachialia & alia, quibus fortasse plus auri inerat. Diuina id crediderim permissione factum, vt hinc colligatur, homines sapius quod verbum Domini audire detrectent, eiusque voluntati oblectentur, fidem amittere, in idololatriam delabi, & infinitorum se criminum reos constituere. Noxia igitur animæ pestis est surditas, at mutum esse, non inferior. Hic vero miser utroque laborabat malo. *Adducunt ei surdum & mutum.*

Mutū esse quam grauecti. Crediderim hunc non penitus mutum fuisse, sed, quia lingua illi compedita, difficulter admodum loqui potuisse. hoc vt sentiam, textus Græcus inuitat, qui loco *mutum* legit *μωλιλλος*, id est qui vix loqueretur, & linguam haberet impeditam: statim enim subnectitur, *& loquibatur recte*. De rei veritate quidquid sit non laboro, at tamen deplorandum est & miserum loquelam perdidisse, quod in summo vitæ ac salutis discrimine hominem constituat: sine lingua enim nemo confiteri poterit peccata, sine confessione vero nemo peccatorum speret veniam, nemo salutem aut gratiam sibi datū iri persuadeat, audite quid in hæc rem suggerat Sapiens, *Qui abscondit scelera sua, non auergetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Dauid rex cum vidisset quantum vocis & loquelæ defectus ei detrimentum attulissent, ait, *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die*, Id est, *Quoniam linguæ fuit ad mentiendū, ad calumniandum, ad proximi famam denigrandam, mutus vero in Deo orando, & peccatis eidem confessione aperiendis, ossa mea velut præ senectute inoleuerūt & decocta sunt*. Ceterum per ossa virtutes intelligit, quem admodum & caro in sacris litteris pro peccato accipitur: atque hoc modo intelligenda sunt verba hæc Psalmi tricesimi quarti: *Omnia ossa mea dicent tibi, Domine quis similis tibi*: Non loquuntur ossa, sed virtutes ipsæ, quæ Deum deprecant, quæ illius laudes

Tom. 2. Pars Æstina.

decantant: tunc vero illa putrescunt & mutescunt, cum quis ne verbum quidem profert, & loquelam amisit, & similis est Evangelico huic qui simul mutus & surdus.

Beda hunc locum allegorice exponens, per surdum & mutum, quem Christus manus impositione sanauit, genus designari putat humanum, quod Messia manum imponente, in pristinæ valetudinis statum est restitutum. Equidem vt litteræ quam maxime *Surdus & inhæream*, illum hic denotatum credo, qui *mutum* animam surdā habet & mutam: surdus quip in malam pe ille est, quod cordis auribus diuinam aurtum in boidire vocem, & diuinas inspirationes percipere nequeat: mutus vero quod os ad orandum piritur par non habeat. Simul quoque meminisse vos rem in sa- uelimum, verba illa *Surdus & Mutus* ambiguae era scri- in sacra scriptura esse significationis, & tum prura. in bonam, tum in deteriorem partem accipi posse: in bonam quidem, plurimis in locis, *Psalm. 37.* *Ego autem tamquam surdus non audiebam & tamquam mutus non aperiens os suum*. Et alibi, *& factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: & Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator a duerum me: obmutui & humiliatus sum*. *Surdus* quippe erat, cum inimicorum se audire simulabat calumnias, cum semel iniurias & conuitia æquo animo sustinebat, quando detractionibus de proximo aures occludebat. O surditatem auro redimendam.

In sequirem vero partem, infirmitas etiam locis, *sardi audite, & cæci inuocant*, ait *Isaias, Isai. 42.* & *Michæas, Aures eorum surdæ erunt*. Et in *Mich. 7.* *Euangelio S. Lucæ, Leprosi mundantur, surdi Luc. 7.* *audiunt*: quin & in *Marco. Surde & mute spiritus, ego recipio tibi, Exi ab eo*. O surditatē deplorandam! Huic hodie Dei filius mederi contendit, manum admouet, & plurimos admiscet ritus, quos in secundo iam concionis membro latius exponam.

Plurimas hic saluator & totius orbis so- Caremo- spirator adhibet cerimonias: primo siquidem nix quas c turba eum segregat, vt ostendat, neminem Christus ad illum venire, virtutem amplecti, & angu- in curatio stū sanctæ conuersationis iter posse ingredi, ne surdi qui non mundo egrediatur, & improborum huius ad- fugi- hibet.

D d

fugiat confortia, vt ita ab omni cura & negotiis liber, cum illo in spiritu tranquillitate & plena animi pace conuerteretur & agat.

Ierem. 51.

Hinc clamat Ieremias, *fugite de medio Babylonis. Et salua: vnusquisque animam uā.* Deinde digitos auribus inferit, & linguam salua linit, vt honorem reliquis exhibendum aduersus calumnias & blasphemias hæreticorum blaterationes, adstruat: vtitur quippe salua hic & tactu, quod sacra Iesu Christi humanitas, & quidquid ab illa deriuatur, diuinitatis illius organum sit, virtutem in se continens curatiuam. Tertio oculos in cœlum subleuat, vt ita demonstraret, vndenam animæ & corporis sit salua petenda, à Deo sc.

Psal. 112.

Psal. 120.

qui in cœlis residet: quod fecisse etiam se testatur Psalmodographus. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis: & in alio Psalmo. Leuaui oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi.* Denique ingemiscit & suspirat, vt ostendat alterius esse malis condolendum, & præsertim peccatoribus. Ita deplorat Paulus infelicem inimicorum crucis Christi fortem.

V.

Psal. 3.

Deus nos

cogit mū-

do exire.

Primo igitur

Apprehendit eum de turba. Quod profecto mysterio non vacat: designare siquidē voluit hic Dominus, neminem vnquam, nisi violenter à mundo Deus abstraheret, eodem egressurum. Exemplo erit Loth, qui imminente Sodomæ excidio, cum ab Angelis, vt cum vxore & filiabus confestim vix se proriperet, esset præmonitus, ne forte vna cum aliis ruina inuolueretur, sanctus neglectis præmonitionibus, vix egredi voluit, ita vt Angeli manu illius apprehensa inuitum quodammodo exire compulerint, & vltro eduxerint: *Diffimulante illo, apprehenderunt manum eius, eduxeruntque eum.* Ideo quoque dicebat in Euangelio Dominus, *Nemo potest venire ad me nisi*

Gen. 19.

Iohan. 6.

Cant. 1.

Iohan. 12.

Psal. 143.

Pater meus traxerit eum: quod verbum traxerit, violentiam quamdā designat. Vult etiam in Canticis sponsa trahi post ipsū, vt currat in odorem vngentorū illius, & ipse Dei filius in Euangelio ait, *Ego si semel exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.* Postula igitur cum Propheta peccator, & dic, *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.*

At quamnam esse rationem putabimus,

quod Dominus surdum hunc curaturus, Cur Dominus surdum hunc curaturus? An non conuenientius, & ad maiorem illius gloriam erat omnium in oculis hoc miraculum patrari & multos illius testes existere: non modica hic difficultas est. Sanctus Hieronymus & Beda Ven. hanc separationis huius esse causam innuunt, quod qui à Iesu Christo sanari volunt, ab hominum se multitudine debeant subducere. Bene quidem, verum & allegoria hic latitat. Credit siquidem Chrysostomus, Theophylactus, Eulymius Dominum ostendere hic voluisse, vanam fugiendam esse gloriam, & auræ popularis flabrum declinandum. Sibi persuadent alii, ideo factum, quod plurimos adstantium miraculo concipiendo crederet indignos. Alii vt Maldonatus ait, vt surdum hunc curaturus, procul à tumultu segregatus cum esset, preces commodius ac quietius effunderet, vt enim è consequentibus videre est, orauit priusquam miraculum ederet.

Hic quoque, ad harum ceremoniarū elucidationem, & miraculi huius splendorem, per aqua-notandum est, non semper æqualiter, Dominus liter diuinum diuinitatem ac potentiam suam declarasse: iudicabat quippe, non semper verumque expedire aut opus esse: quamuis non ipsum lateret, & causa foret incognita: suscitauit interdum mortuos & fugauit demones vnico verbo, atque ita se reuera Deum esse demonstrauit: alias tactu, quin & spūto, & luto aliisque ceremoniis adhibitis, potentiam suam modo agendi qui causis naturaliter inest, & consuetudini & sensibus hominum adaptans. Atque ideo surdum hunc è turba segregat.

Adhæc surdum hunc ab aliis sequestrans, Solitudinis mundi fugam & vitam solitariam suadet. hac quippe ratione, per solitudinem, in qua plurimas peccandi occasiones euitamus, ipsaque virtutum penuria est, & vitiorum nouerca. vnde in laudem eius bene Calliodorus ait, *Nimia turba vitiorum, sine certamine vincitur, quando solitudo gratia suffragatur.* Et merito. Qui enim solitarius agit, peccata omnia emori cogit. nihil enim quod concupiscant tunc oculi vident, nihil inordinatum & indecens audiunt aures, nullum, cui loqua-

loquatur, habet lingua. Viuat igitur Religio-
sa solitudo.

Noceat siquidem hominum contubernia, & præsertim impiorum & mulierum. Loth quippe nec inter filias tutus fuit, nec apud sororem Ammon, Absalom inter patris concubinas continere se non potuit, nec Salomon inter vxores plurimas à periculo immunis, cui periculo vt obuiam catur, suadet Ecclesiasticus non esse in medio mulierum commorandum: nam vt de vestimentis procedit tinea, ita & à muliere iniquitatem viri. Sapiens quoque eodem collineans ait in Proverbiis: *Nunquid potest quis abscondere in sinu suo ignem, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, & non comburentur planta eius.* Porro ignem sinu gestare nec aduri, prunis inambulare, nullum vt læsionis in iis appareat vestigium: est oculos in mulieres conuicere, nec cupidinis ardorem in animo sentire: est mulierum inter esse colloquio, & earum contubernia frequentare, nec tamen minimam ardoris scintillam intrinsecus persentiscere: quæ profecto sine miraculo fieri nequeunt. Vt enim ignis obuia quæque deuorat & quidquid illi accedit, absorbit: ita fœminæ quoslibet accedentes inquinant & deprauant. Hinc procul, hinc igitur noxiæ illæ pestes & contagiosa contuberna.

VI. Noceat quippe plurimum rebus spiritua-
libus, & exercitiis animi nō mediocriter dam-
Mala cō- forria no-
fortia no- num inferunt. Templum Salomonis cum
xia sunt. exstrueretur, politis lapidibus constructum
est nullusque mallei ictus, nullus securis aut
3. Reg. 8. ferramenti strepitus Ierosolymis audiebatur, *Domus autem cum edificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis edificata est, & malleus & securis; & omne ferramentum non sunt audita cum edificaretur.* At mox vt perfectum fuit, & consecrationis dies aduenit, *Nebula impleuit domum Domini, & non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam.* Quo designatum est, in iis quæ ad opera corporalia spectant & materialibus, vix vllum dari impedimentum aut contractionem posse: at mox, vbi Deo nos dedicare incipimus, obsecras interius nebulas suboriri, quæ propositum disturbent, & quo minus in cœpta

progrediamur via, impedimento sunt, quales haud dubie sunt prauorum consortia, & mundi frequentatio: quamobrem si nobis consultum volumus, ab eodem segregemur, Deumque obsecremus, vt à mundo nos abstrahat.

De turba seorsum. Sunt enim conuersatio-
Cur in lu-
nes & contubernia hominum noxia & da-
na sint
mnosa. Plutarchus in moralibus rationem maculæ.
indagat, cur luna, præfes illa noctis & secun-
da cœli fax, maculas in vultu circa frontem
præferat, quæ lumini illius ac splendori non-
nihil videntur officere, eiusque pulchritudi-
nem eunt imminutum, cum in nullo plane-
ta videantur: ac tandem maculas illas à ter-
ra humiditate originē fumere asserit, quod
ipsa cæteris sideribus terræ sit vicinior. Vnde
manifeste colligere, & euident hinc argu-
mentum educere possumus nimis crebram
& assiduam familiaritatem, contemptum
parere, & malas societates nauos ac maculas
affricare, & meritorum splendorem extin-
guere. Nihil autem melius ac salutaris, quā
solum agere, & à tumultu hominum procul
secedere.

Scriptum est in libro Iob: *Interroga volatilia cœli, & indicabunt tibi.* Hic erubescant filij
Adam, ecce, vt prauis affectibus ingenium eorū
offuscant, & tenebras stuporis menti offu-
derint, vt ab auibus cœli necesse habeant edo-
ceri. Ab illis igitur disce, o homo, ac præ-
sertim ab apibus. & quid disces? solēt hæ sæ-
dentia. Apū pru-
uientē hyeme & ventorum procellis, & cœ-
lo pluuio, teneritudinis suæ & mollitiei con-
scia, in fauis & alueariis delitescere: quæ ve-
ro certa aluearia ac receptacula non habent,
cavernas & loca subterranea subire: metuen-
tes scilicet, ne si foras prodeant, vento alio-
rum abripiantur, vel in imbribus frequēti-
oribus suffocentur. Ne sis igitur, homo, bestio-
lis hisce ineptior, noli ab apibus te superari,
fragilitatem agnosce, fuge tempestates &
procellas, quæ aduersus vitam spiritualem
insurgunt: angulum tibi quære, in quo ab
hominum societate sequestratus tranquille
& quiete vitam possis traducere, & veram
securamq; quietem viuere. Hinc de corda-
to ac prudente viro scriptum est: *Et erit vir sicut qui absconditur à vento, & celat se à tem-
pestate.*

pestata. qui igitur apricati gestit, & à noxiis ventis immunis viuere, qui tempestates denique vult euitare, mundo egrediatur.

Matth. 13.

De turba seorsum. Mundus etenim ager ille Euangelicus est, in quo inter paucas boni seminis spicas, tot noxia pullulant zizania:

Gen. 18.

est quoque clima illud Sodomiticum & Gomorrahum, in quo inter prauorum myriades vix vnum reperire erat iustum: est regnū

Dan. 3.

Babylonis, in quo omnes omnino mortales, ad sonitum fistulæ & sambucæ peccati idolū adorant: denique locus est, in quo infiniti

Simile.

inferaces furculi, mille inquam, tentationes, mille peccandi occasiones, succrescunt: quas

Ecc. 7.

vt euites, mundum vita. Si quis iuratum habeat inimicum non illum modo metuit ac formidat, sed & omnes illius socios, fautores, affectas, & quotquot eius partibus adhe-

Gen. 12.

rent: ita quoque non peccatum modo fugiendum est, sed & omnes peccati occasiones, quæ illius partes sequuntur, & in nomen eius

Sacramentum præstiterunt. Hinc bene Ecclesiasticus ait: Qui timet Deum, nihil negligit, sed omnia timet, & nihil tutum credit, atq; à mundo se penitus segregat.

Præcepit olim Abrahamæ Deus, vt è terra sua recederet, parentibus valediceret, domum paternam desereret, & aliud clima & terram incognitam ingrederetur. Si vero emigrationis huius causam Patriarcha postulasset, respondisset haud dubie Deus: Eo quod terra

tua, id est, Chaldæa, in qua modo habitas, scateat idololatriæ: plurimi sunt ibi impij & scelesti, virtus exulat, peccatum vero dominatur, adeo vt inter illos viuere periculosum sit, noxium, & difficile, nulla igitur hic salus speranda. Idem omnino de mundo dictum est: est scilicet terra Chaldæa, vbi nec ipsi Abrahamæ, securi sunt. Egrediatur namque oportet, qui in securitate & quiete viuere desiderat.

De turba seorsum. Fieri non potest: vt quis egrediatur per regiones obambulans, & pedes nō lædat: ita quoq; difficile est, in publicum prodire, & cum mundo agere & conuersari, sine vilo affectuum, qui sunt pedes anime, inquinamento. Hoc spectabat in Canticis Sapiens illa sponsa, quando dilecto ad

Cant. 5.

ostium pulsanti: Expulsi mei tunica mea, quod

m. do induar illa? laui pedes meos, quomodo in-

quinabo illos? Hæc allegorice in tuam utilitatem conuertere anima, ac dicitur cum amantem illa sponsa, quando illa mundi amor ostium cordis pulsar. Expulsi mei munde ambitione & superbia: quomodo ergo me eandem denovo vis induere? votū feci paupertatis: quomodo ad diuitias aspirem, & opibus inhiem? laui, purgavi & mūdavi desideria & affectus meos: quomodo me eisdem vanitatibus & ineptiis tuis vis maculare? tam suauiter ac

quiete in regio solitudinis lectulo requiesco, quomodo igitur resurgam, quomodo iucundissimam monasterij quietem deserā, mundū ingressurus, negotiis me secularibus inuoluens? Hinc discere cosmophile, mundo non nimis confidere, illius societatem, infidā credere, sed eandem vt suspectam, metuere.

Loth sanctus erat & iustus, quamdiu cum Abrahamo agebat, sed cum Sodomitis cum

ageret, impiis illis & scelestis naturā corruptioribus, omnis illius familia euersa perditaque fuit, illius vxor immorigera in salis statuam conuersa est, & filia incestum admiserit. Illa sunt scilicet pericula societatis prauæ, & casus in mundo obuij. Beatus igitur qui eodem egressus est, & procul à negotiis sæcularibus in solitudine viuuit.

De turba seorsum. Noua hic iterum mysteria: hæc fortasse carimonia vsus est Saluator, Mysteria vt demonstret opera Dei non esse mundo sancta nō patefacienda, mysteria non publicanda, non debent dignitatem & splendorem rerum sacrarum profanari profanandum. In huius rei signum, cum Propheta Elisæus Sunamitidis filium ad vitam reuocare vellet, cubiculum ingressus, in quo exanimis collocatus erat, ianuam occlusit, ne quis rei conscius foret: Ingressu q; clausit ostium super se & super puerum. Et orauit ad Dominum. Ipse quoq; Redemptor Christus, Archisynagogi filiā resuscitaturus, omnes aula prius egredi iussit quam rem aggredere tur:

Et cum eiecū esset turba, ait Matthæus, intrauit & tenuit manum eius. Et dixit: Puella, surge. Omnes autem hæc carimoniæ adhibita sunt, vt hinc euident fiat, mysteria celanda, & hominum cognitione abscondenda esse.

Quod nec ipsos Ethnicos latuit & nationes barbaras: nam refert Augustinus Cæsarum

rem

Lib. 54. de ma. hist.

Allegoria inquit.

Gen. 19.

VII.

4 Reg. 4.

Matth. 9.

Lib. 54. de ma. hist.

rem

rem Dio Nicæus cum videret libros Sibyllinos, in quibus omnis sacrificiorum & diuini cultus ratio tradita, semilaceros & præ vetustate detritos, Pontificibus maximis præcepit, vt eosdem sua manu denuo describeret, ne quis profanus eosdem describendo legeret: Nolebat scilicet sancta & arcana in vulgus spargi, & omnibus patefcere.

Tanta Tarquinij Superbi, referente Valerio, erga sacra & arcanorum mysteria pietas fuit ac reuerentia, vt Tullium Duum virum, cui commissum erat volumen, in quo cæremonia & ritus sacrorum continebantur, quod ipsum Petronio Sabino, quia iam præ vetustate litteræ propemodum fugerēt, transcribendum dedisset, velut grauissimi criminis reum culeo infutum viuum in Tiberem deici mandarit; quod supplicium solis patricidis deinde fuit irrogatum. Ita scilicet mysteriorum studiosus erat rex, vt morte dignos iudicaret illos, qui eadem profanabant, & vtrius quosdam communes eadem habebant.

Refert in Stromatis Clemens Alexandrinus, Ægyptios templorum ianuis sphinges superimponere consueuisse, denotare volentes, Dei & mysteriorum cognitionem ænigmaticam esse, & perobscuram omniaque silentij innolucris esse innoluenda. An non eandem Dei nostri mentem fuisse putabitis, cum ante sancta sanctorum velum expandi iussit, & tabernaculum ipsum obtegi cortinis? Quid denotat velum illud expansum, & cortina illa templi, qua visus arcanorum prohibebatur, aliud nil, quàm sacrosancta mysteria vulgo non esse patefacienda, ita vt ne videat quidem, nedum eadem intelligat?

Magnū Ecclesiæ lumen Augustinus huic opinioni accedens scribit in libris de ciuitate Dei, olim nefas fuisse sacris & mysteriis Eleusiniis, quæ Cecropi & Proserpinæ fiebant, nullo profanos nec iniuriatos interesse: sed sacrificulos priusquam sacra peragerēt, inclamare solitos, *Procul hinc, procul este profani*. Atq; ideo Alcibiades, magnus ille Atheniensium ductor, quod sacris Cæceris vt non iniuriatus interfuisset, accusatus est ac non nisi post plurimos labores ac difficultates ab-

solutus. Addit insuper Rhodiginus, ideo quoque lege Athenis cautum fuisse, ne quis externus & profanus Eleusinia celebraret. Omnia porro huc referri queunt, non esse scilicet mysteria propalanda, idq; Christi exemplo, qui surdum hunc & mutum curaturus, tantumq; miraculum editurus, de turba illum apprehendit, nec homines illius miraculi conscios esse vult.

At vero cærimonia hæc Christo non sufficiebat, sed addere visum ei est & alias, nec minus admirabiles: nam postquam eum de turba sequestrasset, *misi digitos suos in aurículas eius*. Per digitos illos sacros in S. litteris intelligi solent Spiritus S. charismata, qui p̄inde etiam Dei digitus appellatur. Hinc Ecclesia canit: *Dextera Dei tu digitus*; & sane ea ipsa verba Lucæ, *si in digito Dei eicio dæmonia*; alius Euangelista sic scripsit: *Si in Spiritu eicio dæmonia*. Cæterum Spiritus S. est ille Dei digitus, qui surdos & mutos curat, quod Spiritui S. peccatoris iustificatio, qua nullū opus haberi potest maius vt & ipsam mundi creationem, teste D. August. & D. Thoma, lōge antecellat, adscribatur: in hanc enim sola Dei sufficiebat voluntas, illuc vero & ipsam peccatoris voluntatem necesse est concurrere.

Igitur per sacros illos digitos, dona Spiritus S. denotari certum est: atq; ita interpretatur Magnus Gregorius, dicens: *Quid per digitos Redemptoris, nisi dona Spiritus sancti designantur*.

Quin etiam per pretiosos illos digitos virtus miraculorum operatrix poterit denotari: quod vt melius intelligatur, sciendum est, Iesum Christum sæpe in Scriptura manus nomine nuncupari, quod per ipsum velut per manum quandam cuncta Pater omnipotens operetur & producat: ita Origenes in Numeros, & Hieronymus in Ezechielem. Hoc dixisse sensu credendus est verba illa Psalmographus: *Emitte manum tuam de alto, & libera me de aquis multis*. Cyrillus autem ait, manum illam Moysis, quæ in sinu delitescens munda erat, & foras prolata lepram præferebat, veram fuisse Iesu Christi imaginem. In hac porro manu Patres quinque manus denotant digitos: primus vel si lubet vltimus, id est, minimus, illius humilitatem & obedientiam

entiam denotat: Secundus, qui medicus est, clementiam & misericordiam, qua peccatores sanabat: hunc quippe medici adhibent in pulsu venæ dignoscendo, nam venam habet quæ ad cor vsque pertingit: tertius, qui medius est & longissimus, miraculorum operationem. quartus autem, qui & Index, prudentiam: per hanc enim viam salutis demonstrat, & verum ad beatitudinem iter. quintus denique, id est, pollex: qui omnium fortissimus, mortem & passionem eius significat: hos autem quinque digitos hodie auriculis surdi inseruit, vt hac ei ratione auditum restitueret.

Tangit
Dominus *Misit digitos suos in auriculas eius.* Digitos scilicet auribus indidit: & linguæ eius saluam affricuit, vt ostenderet, ait Euthymius, omnes corporis sui partes propter vnionem diuinitatis, saluare esse, & infinitæ virtutis & efficacie, eo quod solo tactu omne morborum genus tollerent. Idem quoque dicit Theophylactus, & Maldonatus, & alij. Equidem addo, non suffecisse Domino, hunc à turba segregare, digitos auribus inserere, linguam saluam petlinere, nisi & oculos in cælum sustolleret, atque ita imo de pectore ingemisceret.

VIII.
Gemitus
Christi *suspiciens in cælum ingemuit.* Gemitus hic immensi doloris est argumentum, quem solus ille poterit cognoscere & penitus perspiciere, qui Christi amorem & charitatem perspectam habuerit. Constat quippe dolorem ex amore manare, & quo rei amissæ amor maior est, eo dolor vehementior & maior; quæ vehemens autem & immensus fuit Christi erga animas amor? verbis hic quidem exprimi nequit, at eius incarnatio, natiuitas, vita, mors, passio, aliaque quæ subiit tormentorum genera, locupletissimi testes sunt. Cui igitur amor doloris causa sit, & Christi erga animas amor fuerit immensus & infinitus: quam grauem & acerbum illi fuisse dolorem ex animarum ruina prouenientem credendum est?

Sol^o Deus
peccati
grauitatem
& malitiam
potest agnoscere.
 Adhæc profundus ille gemitus, quem imo pectore Iesus emittebat, a peccato originem trahebat: cumque peccatum malitiæ cuiusdam infinitæ sit suspiria illa, animam eius extremo intrinsecus dolore confici testabantur: at

dolore, quem solus ipse nouerat, vt qui & solus peccati malitiam potis est comprehendere: neque enim homines, aut Angeli, neue ipsa gloriosa Deipara ipsam peccati nequitiam & grauitatem penitus comprehendere queunt: cum enim homo per peccatum mortale Deum, bonum, inquam, incomprehensibile, amittat, hinc est, quod nemo mortalium rei illius qua summum amittitur bonum, malitiam possit comprehendere. necesse siquidem est malum illud incomprehensibile esse, quod bono prius incomprehensibile. Solus igitur Deus est, qui se ipsum plene capit, ac proinde vitij etiam & peccati turpitudinem ac perueritatem: quamobrem nemini mirum videatur, si medicus gemat & suspirat qui solus morbi grauitatem habet perspectam.

Suspiciens in cælum ingemuit. Altera suspirij huius causa fuit, quod peccatoris miseriam & calamitatem cognoscat, qua non modo Deum, summum illud bonum amittit, sed eundem ex amico inimicum reddit capitulissimum: adeo qui paterno eum prius amore complectebatur, & varia in eum gratiarum munera effuderat: admissio delicto, mox eum vt inimicum prosequatur, & in periculis deserat, ac variis casibus eundem reddat obnoxium. Quam calamitatem & miseriam scite depingit Psalmographus, dicens: *Oculus Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Innuere vult, Deum se piis amicis, impiis vero ostendere inimicum, parrem bonis, scelestis iudicem: illos protegere, hos autem persequi. O rem deplorandam! ô casum lachrymis ac suspiriis dignum! quam funestum ac graue est Dei inimicum esse!

Iacob Patriarcha cum cerneret Labani foederi amicitiam & fauorem, in immortale esse odium conuersa, faciemque illius tristitia comminari, quæ mille ei olim gaudia pepererat, nescio qua tristitia & mœrore affectus inquietus vixit, adeo vt patriam repetere, & Labani aedes deserere decreuerit. atque hac prius oratione vxores compellauit, *Videō faciē patris vestri, quod nō sit erga me sicut heri & nudius tertius.* Perinde ac si dixisset, nequeo diutius carissime coniuges hac in regione commorari, in qua

qua focerum, qui hactenus tam amice me fuit, inimicum experior. Eheu! peccator cum Deum iratum, cum Patrem illum celestem, qui tot tantaq; benevolentia argumēta in te ostendit, qui pro te nasci, in mundo agere, in cruce pro te mori voluit, inimicum iam redditum vides, & iratos tibi oculos ostendere: quomodo viuere poteris: ecquæ tibi dari poterit quies aut animæ tranquillitas?

Patricida Cain cum grauissimi & atrocissimi criminis reus diuina gratia excidisset, eumq; iam non clementem, sed iudicem feruerrimum experiretur, & vindicem illam iustitiæ manum in se sæuientem sentiret, suspirans & lachrimans dicebat: *Ecce eieci me hodie à facie terra, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis, qui inuenit me, occidet me.* Eadem tua fors est; peccator, eadem calamitas, quæ Caini, nam quæ admisti crimina, Deum tibi infensum reddunt, & illius indignationē prouocant; gratia illius excidisti, & velut profugus & ab omnibus derelictus, omnibus fortunæ casibus & infortuniis vitis obnoxius, adeo vt verendum sit, ne omnis qui te inuenit, occisurus sit: Et sane ita se res habet: anima enim è qua recessit Deus, omnes in se creaturas excitat & armat. Expressit id scite Psalmographus, cum diceret ipsa expertus, *Quia dixerunt inimici mei mihi; & qui custodiebant animam meam, consiliū fecerunt in unum.* Quamdiu, inquit, in peccati statu mansi, à te recedens desertus, gratia tua quoque priuatus; quotidie in necem meam inimici coniurantes insurrexerunt, dicentes, *Deum derelinquet eum: persequimini & comprehendite eum, quia non est qui er prius.*

Abalom quod paterna se gratia & benevolentia excidisse, & ab illius cōspectu se remotum cerneret, tantū intrinsecus dolorem concepit, vt vitā morte amariore duceret, & celeri leto tristis vitæ dies mallet præuertere, atq; ideo dicebat Ioabo lachrymans, *obsecro ergo, vt videā faciem regis, quod si memor est iniquitatu mea interficiat me.* Hoc cogites velim, infelix peccator, & perpende si Abalom indignationem & irā Patris & regis sustinere nō potuerit; quo tu modo feres odia & mortales inimicitias Dei tui & Patris: quomodo

sub onere tanti furoris non fatiesces? Quare deplorandū est, illius te amicitia excidisse & inimicum implacabile tibi illum reddidisse.

An non graue Amano Purpurato fuit, videre regem Assuerum, cuius quondam delictum & amicus integerrimus fuerat, & à quo tot honores & beneficia, & benevolentia argumenta receperat infestū sibi redditum, & indignantē in necem suam cōspirare; donec in crucem egisset, *Suspensus est itaq; Aman in patibulo quod parauerat Mardocho, & regis ira quieuit.* Tantopere autem misellus hic regis indignationē metuebat, vt audito, regem & reginā sibi infestos redditos, timore sit quodammodo exanimatus, & ad tam tristem ac funestum nuntiū expalluerit, *Dixitq; Esther, Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman: quod ille audiens illico obstupuit, vultum regis ac reginae ferre non sustinens.* Maius tuum, infelix peccator, infortunium est, dum regem reginā, à quo plurima benevolentia & amoris argumenta tibi demonstrata, à quo tot tantaq; gratiarum recepisti charismata; in te cernis commotum & indignantem, in ruinā ac perniciem tuam conspirantem, damnationiq; perpetuā te addicentem? An non igitur te dolentem & gementē quod gratia illius excideris, toto contremiscere corpore par est, dum audis, summum illum regem tibi aduersarium, reginam Angelorum iratam, Angelicos deniq; ordines tibi infestos? Hic facies in diuersa mutanda; hic pallor induendus, hic gemendum, hic trahenda suspiria: at cum hoc ipse pro rei grauitate facere nequeas, vt qui delicti peruersitatem non agnoscas; ipse Christus, qui te melius tua nouit infortunia, hodie vt vides suspirat, & suspirans in cælum ingemuit.

Tertio Christus ingemuit, q̄ aperte supplicia & cruciatus, huiusmodi auersionis, qua quis ab infinito & incommutabili bono, ad fragile mutationiq; obnoxium se conuertit, debitos aperte perspiceret. Porro supplicium hoc & pœna, iuxta æquissimas diuinæ iustitiæ leges, necessario infinita est, eo quod delictum, quod castigat in Deum, qui infinita est maiestatis, admissum est: atq; ideo pœna æterna est, quod nulla annorum temporisq; duratione metiatur, & idcirco, à nullo mortaliū

Tertia gemituum Christi ratio.

lium & creatura aliqua creata nequit comprehendere, at soluseam nouit spiritus ille increatus, Filius Dei Vnigenitus, qui hodie gemitu suo peccati grauitatem malitiamque declarauit, cum verbis eandem non posset exprimere. Nec est quod miretur aliquis, cum ardentem illum salutis humanæ amatorem, dum internis animi oculis peccatorem in delictis obstinatum & supplicia illi iam olim decreta in surdo hoc & muto conspiciat, suspirantem audit & imo pectore singultientem. Docuit nos suo scilicet exemplo, propria deplorare mala & calamitates: simul etiam credendum est, eundem amorem; qui aliquando ad vrbis Hierosolymitanæ excidium deplorandum lachrymas oculis illius exciuit, hodie quoque, dum videt surdum & mutum, & peccati grauitatem ac diuinæ iustitiæ rigorem attendit, ex intimis cordis penetrabilibus suspiria euocare.

Luc. 19.

Peccatoris stoliditas.

O stultitiam detestandam! o stuporem vere brutalem! o phrenesin animarum nimis (ah!) deplorandam! phrenesin inquam, qua homo pessimo constitutus loco ridet, iocatur, voluptatibus indulget. O cæcitatem vere cæcam! Filium Dei vnigenitum singultire, & peccatorem cachinnari; Christum peccatori condolere, eiusque deplorare calamitatem, illum vero nihil penitus commoueri, o insensibilitatem inauditam; peccatum graue est & pöderosum quam maxime, peccator tamen ipso in humeros sublato non succumbit, nec de oneris conqueritur grauitate. Quod conceptu philosophico confirmabo. Tradit Aristoteles, elementa in loco suo & centro constituta, grauiora non esse; sed extra ipsum si fuerint, grauiissima: homo enim cum in maris est fundo, licet integrum super se habeat oceanum, nullum omnino sentit pondus, sed si extra aquam constituto vnam aliquam imponas, sudat, laborat, & vix eandem sustinere, nedum ferre valet. Hæc omnia considerans Augustinus, querit in libro de natura boni & lib. de fide ad Petrum, eccuius proprius locus & centrum sit peccati, & addit primo, ipsum corpus non esse: lapides enim corpus sunt; ideo tamen peccatum non includunt, nec sensus: bestiarum quidem sentiunt, at non peccant, nec etiam intellectum,

Elementa in suo centro leuia sunt.

Voluntas peccati centrum.

sed solam peruersam voluntatem; in qua cum peccatum constitit in loco veluti proprio & naturali, ac centro est, atque hic nullæ grauitatem aut pondus habet. At ubi voluntas hæc imitari cœpit, & bona esse desiderat, tunc peccatum extra centrum constitutum graue esse incipit, & ita graue, vt sub onere fatiscens peccator lachrymas exsudet, & suspiret. Ita Dauid quamdiu in peccato hæsit, leuior fuit pluma, quod deprauatam voluntatem haberet, & in centro suo peccatum hæreret: at mox vt ad Deum se cœuertit, ita graue illi videbatur, vt sub pondere ingemiscat & exclamet, *sicut onus graue, grauata sunt super me & mox, affli et es & humiliatus sum nimis, & rugiebam à gemitu cordis mei*: Et sane ad eod graue id ipsum Dei filius æstimat, vt suspirare non vereatur, *suspiciens in cœlum ingemuit*.

Vidistis cæremonias, iam videte miraculum. Postquam igitur magnus ille medicus aures & linguam terigisset, ecce subito aures illius apertæ, & lingua soluta, ac perfecte magna omnium admiratione loqui cœpit, omnibus laudes & merita magni illius Æsculapii deprædicando, acclamantibus, *Bene omnia fecit, & surdos fecit audire & mutos loqui*. Est hæc Euangelii præsentis conclusio, simul & concionis hodiernæ.

Hinc igitur discite Christiani, fidem alienam posse interdum proximo prodelle ad corporis sanitatem obtinendam, Centurio namque viua Christum orans fide seruo sanitatem recuperauit, & filia mulier Cananæa; discite, illam ad fidem qua saluemur impetrandam etiam non mediocriter conducere, an non enim Stephani Protomartyris fides, Paulum Ecclesiæ adiunxit? *nsenim*, vt canit Ecclesia, *Stephanus orasset, Ecclesia Paulum non haberet, an non Monychæ fides, Augustinū fidelem effecit?* adeo vt diceret Ambrosius. *Impossibile est, vt filius tantarum lachrymarum pereat*. Discite eadem opera, cæremonias, quas hic à Christo videtis vsurpari, in baptismo nostro etiam nū seruari. Discite denique miraculi huius splendore, Messiam vere in mūdū venisse, talia namque de eo prædixere Prophetæ, *Tunc, ait Isaïas, aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt*. Et apud Sapientem legere est: *Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit*

Psal. 37.

Curatio miraculosa surdi huius.

Matth. 23.

Matth. 17.

Aug. serm.

2. & 4. de

S. Stephan.

Isai. 35.

fecit

fecit desertas & dicite cum aliis Christo applaudentibus, Bene omnia fecit: & surdos fecit audire & mutos loqui.

Ceterum o Saluator mundi, vere tum animarum tum corporum medice, mirabilium parator, qui tot in mundo ægris sanitatem: sed non sine miraculo, & præter communem naturæ ordinem, reddidisti paralyticum scilicet seruo centurionis abstulisti, hæmorrhoidis fluxum stitisti, cæco nato non oculos restituiti, & hodie auditum & loquelam surdo & muto reddidisti: hæc eadem hodie miracula etiam necessaria sunt. numquam enim tor surdos, tor vidimus mutos, neue tor vniquam cæcos. Is quidem, quem hic curas, non nisi corporalibus auribus surdus erat, at hi spiritalibus & internis. Et quales, Deus bone! surdi? qui de te loquentes ne audire quidem sustinet, de rebus sanctis institutos sermones repudiant, denique diuinis inspirationibus animum & cor ocludunt. Quot etiam mutos reperiemus, lingua carentes, qua te inuocent: ore, quo te laudent ac glorificent: loquela, qua delicta confiteantur. Tu vero aures & linguam illis tange, auditum & loquelam restitue, vt præconia tua & laudes depreciantes, & verba audientes, salutem tandem consequantur, atque ad sempiternam felicitatem vitamque perpetuam perungere mereamur, ad quam nos omnes deducat Pater & Filius & Spiritus S. Amen.

DOMINICA DVODECIMA.
POST PENTECOST.

Partitio.

- I. De gratia iustificante, quam sufficiens?
- II. De politicis multa callentibus, sed rerum salutis ignavis.
- III. Scientia virtutem esse iungendam, alioquin esse nullam.
- IV. De dilectione Dei ex toto corde.
- V. De lapso in latrones.
- VI. De sacerdote & Samaritano.

Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, & incidit in latrones. LUC. 10.

Tom. 2. Pars Æstiva.

Hebraorum Regum phoenix David in signem profecto in proximum amorem & affectum ostendit, cum infidens equo, quadringentis militibus stipatus, vt Siceleg vrbis in tribu Simeon haud procul à torrente Bozor, in extremis Palæstinæ finibus sita incēsores persequeretur: in misellum quendam Ægyptium incidit Amalecitæ seruū, agrum & semianimem: cuius diligentem, quamuis foret alienigena, haberi rationem iussit. Similem haud dubie amorem Samaritanus sub parabola quadam hoc in Euangelio demonstrat. Hic enim cum in deserto in sauciarum incidisset, qui Ierofolymis in Iericho descēdēs incidit in latrones, qui despoliatio plurimas inflixerūt plagas, & extremū trahentē spiritū dereliquerunt: misericordia motus, equo descendit, vulnera alligauit, eiusque in diuersorium deducti magnam haberi rationem iussit, & si quid erogatum foret, grato animo reddidit. Sapit hoc charitatem proximi & dilectionem Christianā & hic finis est quem parabola intendit, & Euāgelii præsentis subiectum, quod latius vobis deducere, & egregios in eo ipso conceptus producere constitui, modo Spiritus Paraclætus numine suo dicenti annuat, ac patrocinium suū Deipara non abnuat. Atque ideo salutationem angelicam compellemus, dicentes.

AVE MARIA.

I.

Angelicus Doctor Thomas, & S. Bonauen-
tura eadem distinctione articulo 2. quæst. 3. 9. & 2. sent.
naturæ humanæ fragilitatem, peccati mali-
tiam, & gratiæ vires considerantes firmissime g.
dist. 28. art. 2.
credunt, fieri non posse vt homo quid boni
agat, virtutes operetur, si cœlesti ope & diuina
gratia non adiuuetur. Veritatis huius fundamenta
iecit Aristoteles, quibus suam opinionem superstruxere
Theologi, dicens, In Lib. 3. de a-
omnium rerum natura, semper est aliquid, quod nima.
potest facere omnia illius genera, quod exemplo
de motu confirmare licet: quidquid n. mo-
uetur & agitur, per primum mobile moueri
certum est, vt idem in Metaphysicis testatur,
nam in mouentibus & motis non est processus in
infinitum, sed necesse est venire ad aliquem motum.
Lib. 7. Physic.
tam primum, ait idem in Physicis.

E e Idi-